

hominibus firma

et talis prauitates

et sic fuerit

et simul digni

se factis

nonne terra

et sic

omni uoluntate et dignitate

rebuere **Et** firmiter **Et** **Et**

Amelioros uolens quibus d. **Et**

Et **Et** **Et** **Et** **Et** **Et**

scilicet in rebus sempiternis

scilicet in rebus sempiternis

iniqui uelista aduocata

iniqui uelista aduocata

iniqui uelista aduocata

iniqui uelista aduocata

iniqui uelista aduocata

iniqui uelista aduocata

iniqui uelista aduocata

iniqui uelista aduocata

iniqui uelista aduocata

iniqui uelista aduocata

CCM



SALOMONIS FRENCELII
DE CONCORDIA

Oratio,

In inclutá IVLIA,

Præsente R.^{mo} potent.^{moq;} Principe,

HENRICO IVLIO,

postulato Episcopo Halbersta-
diensi, Duce Brunsvic. & Lunæb. &c.

*præsente item Procerum & Legatorum
Ducatus Brunsv: Senatu,*

paulò antè diem Concordiæ,

Anno in itæ sempiternæ inter Deum & homines Concordiæ,
M. D. XCVII.

habita.

HELMÆSTADII
Typis Iacobi Lucij.



AEQVO LECTORI S.

Andide lector, tametsi hoc seculo nescio
quid scribi possit (Verba ERASMI sunt, non
mea) quod non hunc aut illum offendat: tamen ne
existimes, quemquam hoc vel alio loco, in hac oratiuncula, spe-
ciatim cum aculeo perstringi; scito: quicquid hic scriptum, di-
ctum, id non uni aut Scholæ, aut Curie, aut cuiusq; Societa-
ti: sed omnibus Rebuspub., totiq; huic seculo, atq; adeo universæ
Posteritati, quadam ~~magis~~ Christianâ, & libertate Acade-
micâ, absq; ullo felle, non autem absq; aliquo sale, solo quidem
propagandæ Concordiæ studio, germanè, planè, simpliciter
scriptum, dictumq; esse. id credes, quisquis es bonus: vale; &
quod legeris, ad usum tuum liberaliter transfer, meq; si placet,
ama.

Gene-



Generosis, nobiliss. & ampliss. Viris;

**GVILIELMO AB IN=
HAVSEN ET KNYPHAV=
SEN,**

Domino & Capitali in Luzborch, Bargum,
Iennelt, & Vpleuuerd, &c.

ET

PETRO DE VISCKER,

*potentis & inclutæ Reipub. Embdensis, in Frisiá ori-
entali, è præcipuo Quadrumvirum Senatu, Præse-
cto sapientissimo; Amicis optatissimis, pluri-
mumque colendis:*

Salomon Frencelius à Fridenthal, C. P. Academiae
Juliae professor.


S. P. D.

D*Ici non potest, nobilissimi, amplissimiq; Vi-
ri, quantæ tum voluptati, tum honori vestra mihi
ab initio fuerit Amicitia, ad quam vos ultro nuper
aditum mihi dabatis, quum in Augustâ divi Cæsa-
ris Legatio, diversa quidem illa, nos fato haud dubie singulari
conjunxisset. quam enim virtutem in vobis non reperi? cui
A 2 omnium*

omnium Optimatum, qui tum ibi me amicissimè complectebantur, vestrá erga me benevolentia & humanitate quidquam cessistis? Te quidem, generose **GVILIELME**, ut facie, quá primo te intuitu, & antè, quàm prior in atrio me regio salutare, **Knypenhusium** agnovi: ita morum suavitate & gravitate, prudentia, humanitate, tum singularibus studiorum sublimiorum ornamentis, **ICONI** Baroni inclito, qui unus est omnium integerrimus & candidissimus Vir, Fratri tuo similimum, ac verè germanum, quasi alterum Iconem, aut saltem **ICONIS** ΕΙΧΩΝΑ cognovi, & in dies magis magisque perspexi. **DE** tuis verò, **PETRE**, magnæ Reipub. magne Præfecte, maximis ad res gerendas dotibus, insigni & variâ eruditione, politicâ venustate, auctoritate, sapientiâ, promptitudine, & fide singulari, quas virtutes clarissimis muneribus atq; legationibus tum Patriæ tuæ, tum viris quibusdam principibus, atq; adeo Regi optimo jam olim in ipsâ juventute tuâ primâ eximiè probasses, quæ multi multa mihi commemorassent, & inter hos præcipuè præstantissimus Baro, **ERENFRID** à **Mincv**viz &c. **S. Cæs. Ma^{ris}** Consiliarius, & Legatus sapientissimus; ea tum demum vero veriora comperi, quàm ad te amandum familiari consuetudine propius accessi, aut (ut verius dicam) in tantâ temporis brevitate, accedere vix cepi. Quamobrem ex quo domum redii: statim de confirmandâ utriusq; benevolentia, firmâque amicitia stabilendâ, edendo in primis signo, quod egregiæ vestræ in me voluntati respondere videretur, memor factæ promissionis mutuae consilium cepi. Quia verò nulla sese hanc ad rem luculentior occasio tempestivius obtulit,

tulit, quàm nunc, ubi hæc Oratiuncula typis describenda fuit: idcirco utraq; eam manu mihi arripiendam existimaui. Cæterùm delegi superioribus diebus hoc de Concordiâ argumentum, quùm post mactam ornatamq; IV LIAM nostram, in præsentia beneficentissimi Principis HENRICI IV. LII, Domini mei clementissimi, publico aliquid nomine mihi dicendum esset. delegi autem hoc ipsum, non ut nunc primum Concordiam in Academiam nostram, in quâ inter Bonos omnes hodie convenit, & conveniet semper, DEO favente, quasi novam hospitem introducerem: sed ut eam hoc ipso, si nullo alio, tempore, quo pater cum filio, socer cum genero, frater cum sorore, Doctor cum Alumno, sodalis cum sodali litigat, quo maxima inter se regna digladiantur, & totus terrarum orbis dissidiis & bellis aestuat, ac horribiliter concutitur, omnibus Rebus pub. extremè esse necessariam, atq; exoptandam, certis firmisq; argumentis demonstrarem, ac facilem & certam fovendi eam rationem ignorantibus ostenderem. Et quod argumentum aliud, quàm de Pace, hoc pugnaci seculo tractandum susciperem, cum ipse ego SALOMONIS, hoc est pacis; seu pacifici dulce nomen geram? De hac igitur dixi; nec sine applausu dixi, & ita dixi, etsi simpliciter, ut ad hunc usq; diem plurimi, non tam in hoc loco verbis, quàm alibi literis, id quod à me dictum fuit, sui juris fieri flagitarint. Quorum honestæ cupis ditati cum deesse nec possim, nec debeam; optimè facturum me confido, si, quicquid est rei, vestrâ cum luce, cum ut de eâ mihi aliquid lucis accedat, tum uti necessitudo nostra in luce & in ore sit omnium, in lucem emittam. Equidem nomina vestra

optimo iure conjungo, non tantum quod uno eodemque tempore
& loco vestram me conjunctione dignati fueritis, sed etiam quod
vno legationis munere summam cum laude nuper ambo defuncti
sitis; tum precipue, quod auream Concordiam & optetis ipsi,
& colatis sanctissime. itaque non dubito, meum hoc studium,
quod perpetuum meae erga vos observantiae testimonium apud
posteris extare volo, ita vobis futurum gratum, ut ab animo
profectum est sincero, vestrique honoris perpetuo studiosissimo,
atque amantissimo. quod ut faciatis, per vestram vos hu-
manitatem, quantum possum diligentiam, rogo. Bene & felici-
titer valete, meque concorditer amare pergite. In IVLIA,
ipso die Concordiae, Anno salutis hum. M. D. XCVII.



IN



IN CONCORDIAM

Ad Salomonem Frenkelium, Collegam.



Vas olorà Dirce sublatus in aëra clangit
Ore sacro, sic vt claram per Cecropis urbem
Mirentur Musea mele, miratus & ipse
Ingenij princeps delectis tradat amicis:
Easdem Guelphiada coram magnoq; senatu
Guelphiadae, cultá iuuenum plaudente co-
roná,

Optatae laudes HOMONOEAE voce difertá
ELYSIVS VATES fyluosum promit ad Elmum.
Quid reliquum est? vt Erin posthac Eridosq; ministras,
Quæ volitant vesparum instar, stridente susurro,
Cuncti dira fugent Clarijs sub tartara lymphis:
Te custos hominum, CONCORDIA, certa salutis,
Pectore labe omni vacuo venerentur in æuum.

Ioannes Caselius.

AD



AD EVNDEM.



*N*atabus Iouis, & sacra
Carum Mnemosynes à pueris caput;
Iampridem te ego comperi
Vinctum purpureis tempora floribus,
Et vatum per amabiles
Vectari niueis nobilem equis choros.
Nunc Pubes tibi IVLIA
Persoluet duplici nomine gratias,
Et Peitho Dea Apollinis
Iunget casta dehinc vota sororibus,
Non tantum unus ut omnibus,
Quot vivunt hodie, vatibus antea;
Sed gentes apud exteras
Tamsis Euepiâ, quàm celebris metrô.

Albertus Clampus IC.

ORA-



ORATIO
SALOMONIS FRENCCELII,
De Concordia.

M Irarentur profectò omnes, si quis si-
ve ex hoc suggesto Iulio, siue cujus-
cunq; loci alio verba faciens, Rhe-
tor quidem mirificè eloquens: at
plerorumq; tamen odiis dudum an-
tè expositus, Auditores nihilominus haberet at-
tentos, eorumq; benevolentiam atq; applausum
improvisò consequeretur. est enim humani in-
genii siue vis, siue imbecillitas quædam, ut affe-
ctuum arbitrio, aut (vt sic loquar) dictaturá ple-
rumque bona mala æstimentur. Verùm mirari
desinerent omnes, simul àc intellexissent: Orato-
rem illum cum iis, quibus antehac ferè invisus
fuerat, paullò antè, quàm in concionem prodi-
ret, in gratiam rediisse; omniaque vtrinque acta,
transacta, sopita, sepulta. Tanta vis est, Audito-
res, Concordiæ, ut affectus domet etiam ferocif-
simos, copulet diversissimos, mentes innovet, è
B beluis

beluis homines, ex hominibus quasi Deos effici-
at, totam deniq; hominum naturam transmutet.
Quod quidem non nos tantum Christiani expe-
rimur, aut certe experiri debemus; verum etiam
quamplurimi extra gremium Ecclesiae depositi
probe intellexerunt. Nam, ut alia exempla pra-
teream omnia, L E O N E M Byzantium lega-
tum, populo Atheniensi dissidiis tumultuanti pa-
cem suasurum, risu quidem Multitudinis primam
statim specie excitato, quod obesus admodum
ventriosusque appareret, ne utquam turbatum,
sed totam paci Rempub. perpauca hisce verbis
restituisse legimus: ecquid ridetis, Viri Athenien-
ses? mihi quidem venter est praegrandis: at uxo-
rem si conspiceretis meam, Mulierem videretis
longe pinguisissimam: talesq; ac tantos, quum su-
mus concordēs, brevis admodum lectus capit;
discordes ne tota quidem Civitas. Verba mirum
in modum scite suaviterq; loco accommodata!
Etenim haec illa est Regina, quae conciliat copu-
latq; coetus hominum, quae oppida, quae urbes ex-
struere, & legibus sociare cepit, quae homines o-
lim in agros dispersos, victuq; ferino vitam tole-
rantes, ex feritate illa ad mansuetudinem tradu-
xit,

xit, quæ jus humanum atq; divinum stabilivit,
unde leges bonæ, unde vitæ tranquillitas, unde
omnis deniq; rerum humanarum prosperitas o-
riginem suam defumfit. Quocirca cum tottan-
tæq; res Concordiâ contineantur, mihiq; partes
dicendi hoc sint tempore, atque hoc loco com-
missæ, strictim aliquid de eâ breviterq; in medi-
um proferam, tum quòd hoc argumentum præ-
stantissimis hospitibus, adeoq; cæteris omnibus
gratum fore, minimè dubitem, tum quod huic
loco atq; Instituto accommodatissimum videat-
ur. Sed ut de tam illustribus atq; eximiis Audi-
toribus incredibili voluptate adficio, ac ferè si-
lentium mihi verecundia quædam incutit: ita
vehementer doleo, de tantâ re ad viros tantos
non pro dignitate dicere me posse. Quis enim
dignis eam virtutem laudibus prosequatur, quæ
sola bene pacateque vivendi rationem tradit, à
quâ tanquam à perenni limpidissimoque fonte,
quicquid existit in communi vita necessarium,
quicquid jucundum, quicquid laudabile, largif-
simè pro manat, quæ tam divina est, ut eam poti-
ùs admirari, quàm satis justè laudare valeamus?
Equidem ingenii tenuitatem ingenuè libenterq;
B 2 agno-

agnosco, atq; fateor, nec parum vereor, ne meis
fortasse humeris impar onus imposuisse videar.
Veruntamen exstimulat me, animosq; vestra ad-
dit humanitas. Dicam igitur de re liberali libe-
re, eâ tamen qua fieri par est, modestiâ: & dicam
ἄνευ φόβου, sine motu, sine metu, sine morfu, nisi quis
aliquid ultro in se detorqueat; quod neminem,
rectè sibi conscium, facturum confido: quan-
quam verò proluxa à me oratio, suisq; partibus
absoluta, atq; emendata, tum propter temporis
angustiam, tum valetudinem dubiam, quam per
hocce dies admirabilis hæc cœli in perpetuo lu-
ctu constituti intemperies, non nihil aggravavit,
nemini exspectanda est: tamen in id unicè eni-
tar, ut omnes intelligant, quàm Concordia res
sit necessaria, quàm utilis, quàm honesta, & pul-
cra! quot præstantissimarum virtutum geni-
trix, soror, adfinis! quot teterrimorum vitiorum
domitrix! quàm facilis ad illam aditus, & quàm
dulcis ejus consuetudo! atq; ita quidem ex plu-
rimis pauca, eaq; maximè necessaria delibabo,
quæ specimen aliquod singularis jucunditatis, at-
que utilitatis, quam studiosissimus quisq; conse-
qui facile potest, manifestè proponant. Quæ
dum

dum persequi instituo, Te Reverendissime, potentissimeque Princeps HENRICE IVLI, Domine clementissime, quàm maximè possum demissè oro, vosq; Proceres, Legati, & Senatores amplissimi, Collegæ doctissimi, Juvenes lectissimi, perofficiosè amanterq; rogo, atq; obtestor, ut eò æquiùs patientiusq; me audiatis, quò maiore & autoritate, & dignitate, & prudentiâ, & humanitate præditi eminentis.

IPSVM CONCORDIAE nomen per se dulce est, & gloriosum. est enim illa amicabilis cordium congruentia, unde & nomen accepisse videtur; est animorum omnibus in rebus consensus; & imperandi alterius, & obediendi alterius, ut acutissimus Aristoteles loquitur, voluntas: est absoluta Amicitia, qualem Nestor de se, deq; Vlyffe prædicat, inquit:

Οὐδέποτε ἐν ἀγορῇ δίχ' ἐβάζοντο, ἅτ' ἐνὶ βελῆ;

Ἀλλὰ ἓνα θυμὸν ἔχοντε νόω καὶ ἐπίφρονι βελῆ.

Haud unquam neq; concio nos, neq; Curia dictis

Audivit pugnare; animo sed semper eodem

Et sentire eadem, atq; eadem decernere vidit.

O dignum viris tam sapientibus Elogium!

Rectè Flaccus:

Felices ter & amplius

Quos irrupta tenet copula, nec malis

Divulsus querimoniis

Supremâ citiùs solvet amor die!

In horum esse numero quis recuset? quis est mentis tam emotæ, qui felicitatem aversetur? Atqui ad hanc felicitatem, studium (inquam) dulcissimæ animorum voluntatumque conjunctionis quamplurima, tria verò potissimum cordatos homines invitare debebāt: primum quod necessarium & utile: deinde, quod jucundum; tum, quod honestum & pulcrum. Nam, ut brevem his explanationem adhibeamus, quis est nostrum, qui non magis utilitate, quàm ulla re aliâ capiatur? Iam quot quantaq; ex mutuæ benevolentiae studiis commoda percipiantur, tota mundi Universitas satis superq; ostendit. Ea enim consistere minimè posset, nisi admirabili quadam rerum omnium congruentiâ & cognatione à magno illo Conditore esset conglutinata. Obscuriora quidem in eâ nonnulla videntur, multumq; nostris ab oculis remota. Sed ne longiùs digrediar, quàm sit necesse, neq; ea adducam, quæ naturæ speculatores longâ observatione persequuti sunt passim; nunquid in corporibus nostris illa omnia, quæ ad propagandam humanam

manam

manam vitam præcipuè faciunt, Natura solers rerum parens, omnesq; in usus intenta, non inæqualia, sed quàm simillima conformavit? oculos nobis eosdem, easdem aures, socias manû, locios concessit pedes? At verò, si res haud populari trutinâ examinetur, plus Amicorum concordiam ad sustentandam vitam communem, quàm ullas corporis partes conducere, res ipsa comprobat. Vetus est verbum: *χειρ χειρα νίπτει: δάκτυλός τε δάκτυλον.* Verùm obsecro, quicquid est officii illius, nonne id omne inter præsentem tantùm mutuò exerceri tractarique videmus? In optimo autem Reipub. statu demum perspicitur, quantum emolumentum, ornamentiq; in conjunctissimorum hominum necessitudine ac perpetuo consensu sit positum. Eiusmodi statum veteres græci Epigrammate mirè venusto depinxerunt: cuius percensere argumentum operæ precium videtur, ut omnes, cum primis Adolescentes, illustre exemplum animis infigant, quod ipsos ejus artis, quâ publica tranquillitas tum acquiri, tum retineri debeat, ac possit, toto vitæ curricula egregiè admoneat. Ea verò ars, seu potius scientia, sanè permagna, iisq; præcipuè investiganda,

ganda, qui viri boni esse, quàm videri malunt,
cujusmodi sit, Auditores, agite in hanc Imagi-
nem oculos infertè. Duo in via fortè conven-
runt; alter cæcus, claudus alter: vbi quum absq;
Duce progredi ille nequiret, hic etiam vehiculi
indigeret, suo uterq; malo retinebatur. Vidit
autem claudus cæcum validis lacertis, pedibus
firmis, integroq; robore corporis armatum, neq;
ullo à natura adminiculo, nisi oculorum faculta-
te destitutum. prudenter igitur consilium cepit,
quo pacto operas inter se partirentur, & quod al-
teri deesset, alter sarciret; cæcus quidem clau-
dum humeris gestaret, claudus cæco viam indi-
caret. id consilii claudus exposuit, suamq; ope-
ram condixit. Cæcus etsi animadvertibat, onus
sibi non leve perferendum esse, Socii tamen hu-
manitate captus conditionem non detrectavit;
quin protenus, indice viæ in humeros sublato,
viam institit: atque ita operis amicè familiariter-
que communicatis iter susceptum uterque con-
fecerunt. Elegans (ita me Deus amet) florentis
cujusque Reipub. Imago! primùm enim quis a-
nimum utcunque attendens non intelligit, in
tantá negociorum mole, tantaq; diversitate,
unum

unum omnibus rebus gerendis parem esse ne-
minem? non hîc eloquar, quanta ubiq; ingenio-
rum infirmitas depræhendatur, ut, qui uno dun-
taxat munere funguntur, interdum tamen satis
non sint oneri ferendo, ac sæpiusculè fallant, &
fallantur ipsi. & quid est deniq; in rebus mortali-
um ab omni parte perfectum? Proinde in qua-
vis Repub. ea primum benevolentia civium re-
quiritur, quâ id, quod in cuiusque est viribus, ad
communem usum haud gravatim accommode-
tur. deinde ut quædam in aliis vitia studiosè co-
mitterq; dissimulentur: tum denique omnia dili-
genti curâ, dexteritate, & virtute sanentur; sic
quidem, ut sicubi ab aliis per negligentiam quid-
piam sit depravatum, id aliorum industriâ etiam
atq; etiam sarciatur. Ad hujusmodi Reipub. for-
mam ordinemq; constituendum, omnes curas,
atq; operas, omnia consilia, omnes vires, omnia
studia sua optimus & gratus quisq; intendit. E-
nimvero eundem ad modum ubi in scholis suas
singuli artes ad communem usum impendunt;
ubi nemo alterius generis artificem odiiis dolisue
insectatur; ubi quidam nævi in aliis contegun-
tur, & vel amicè emendantur (si quidem emen-
C datio

datio admittitur) vel arte quadam corriguntur; Deum immortalem, quanta quanta ibi felicitas! quod inde fluunt præmia! quot commoda nascuntur! Quid est quæso, quod Poëtæ de Actonidibus Fratribus commenti fuerunt, qui nati sint bicipites, ternasque manus, ac totidem pedes habuerint; quos propterea ne Hercules quidem, immanissimorum aliàs monstrorum Domitor, absq; insidiis subigere potuerit, quàm optimum & tutissimum adversus omnes fortunæ impetus præsidium in animorum conjunctione esse collocatum? Hoc nimirum est, quod Antisthenes fratrum concordiam quovis muro firmitus munimentum dixit: id quod de perpetuo bonorum omnium consensu non minùs pronunciari potest. Probè hoc omnibus seculis viri prudentissimi intellexerunt: ideoq; quùm supremum vitæ diem, seu fata novissima (ut cum poëta loquar) adventare sentirent; non Filios aliosve hæredes ad ingentem opum vim corradendam, non ad facultates amplificandas, non ad dilatandos imperij fines, non ad comparanda alia, in quibus pleriq; omne felicitatis fastigium collocant; sed ad fraternum amorem, unamq; illam
men-

mentium societatem quam diligentissimè adhortari consueverunt. Sic Cyrus, apud Xenophontem, è vitá abiturus pacis concordiaeq; studium Filiis magis sollicitè commendare non potuit, quam quùm non aureum sceptrum, sed fidos Amicos, sceptrum Regibus firmum maximeq; tutum docuit. De SCILVRO, octoginta liberorum masculorum patre Plutarchus scriptum reliquit; illum paullò antè, quàm mortaliū consuetudine abdicaretur, singulis jaculorum fasciculum porrexisset, rumpereque iussisse: quod ut ἀδύνατον quùm facere recusassent omnes, singula senem jacula exemisse, atque ita facile confregisse omnia, hac subjunctá severa admonitione: Si vosmet charitate concordiam tuò complectemini; validi eritis, & invicti, & formidabiles cæteris; sin verò animos dissidiis æstuantibus circumferetis; imbecilles iidem eritis, & expugnati faciles. Pol Scythia non poterat magis scythicè rem, de qua differimus, in conspectum ponere. adeo invicta est Concordia! adeo inexpugnabilis! nullas hostium insidias, nullam vim, nullas minas pertimescit. Non hinc persequar, quæ de aliis eius utilitatibus homines eru-

110

di passim copiosè eleganterq; tradunt. Paucis
complectar omnia, si perpetuam illam & stu-
pendam Vniversitatis conservationem uni con-
cordiæ ac Paci acceptam esse ferendam asseve-
raro. quippe in hac quasi catenâ quadam ligan-
tur atq; connectuntur omnia: actiones in vitâ
pulcerrimæ instituuntur, fortunæ & parantur, &
conservantur, & augentur bona. Ex hac unâ ge-
nus humanum maximè floret, perinde ut ex hu-
midi, frigidi, calidi, ac sicci temperaturâ corpus
optimè constitui, nemo nostrum non experitur.
Hæc igitur hæc est unicus in Ecclesiâ, in Scholâ,
in Repub. thesaurus. Cæterum, ut mitis concor-
dia, tot tantisq; usibus referta, societati humanæ
non minus atq; aër est necessaria; ita summam
eandem jucunditatem adjunctam habere,
nemo inficiabitur. neque verò illa vel oratione
compræhendi, vel mente concipi potest. Equi-
dem varii varia in hac vitâ oblectamenta conse-
ctantur. Sunt qui in poculis, sunt qui in oculis
voluptatem quærunt: illi, ut gulæ genioq; indul-
geant; hi, ut oculos animosq; auro atq; argento
pascant: quidam arte ac suavitate Musices du-
cuntur: nonnulli quum amoribus puellarum in-
ebri-

ebriantur, dementanturque; in Iouis sese gremio sessitare, somniant: habent delicias alii alias. verum mihi illud M. Tullii arridet, qui ut circumspiciamus, inquit, quæ populo grata sunt, atque jucunda, nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam otium reperiemus. Nam quid obsecro excogitari potest jucundius, quam habere eum, quo cum de quacunq; re securè sermones facias, animi sententiam permutes, secreta consilia communices, negocia conficias difficilia, qui in rebus secundis te ornet delectetque, in adversis perfugium, ac solatium præbeat? Et ne longinquis rem exemplis diducam, quis in toto hoc frequētissimo coetu, præsertim ex Adolescentibus, reperietur, qui non detestetur solitudinem, societatem expetat, æqualium consuetudine ac familiaritate affatim delectetur? Non jam magnitudinem voluptatis, quæ candidam benevolentiae concertationem comitatur, verbis exornabo, qui jam dudum vereor, ne res præstantissima orationis meæ inopiâ magis obscuretur, quam illustretur. Illud autem quanti aestimabitis, Auditores, quòd qui concordiam curæ cordiq; habet, rem longè honestissimam

pulcerrimamq; possideat? Multa sunt in bonis
mortalium utilitate & suavitate plena: verum
non omnia illa æquè honesta censemus, & pul-
cra. At Concordia & voluptatem cum utilitate,
& cum utraq; cōjunctam habet pulcritudinem,
atq; honestatem. Ab eo enim proficiscitur, qui
ipsa est pulcritudo, ipsa honestas, à DEO optimo
maximo, fonte bonorum omnium. Quòd si
pium est, divinis præceptis parère; si æquum,
Magistratus imperata facere; si laudabile, fidei
& Iurisjurandi religionem tueri; certè concor-
diá nihil est sanctius, nihil æquius, nihil laudabi-
lius. nam eam nobis tam divinæ quam humanæ
leges præscribunt, inculcant, explicant, serioque
ut rem saluberrimam præcipiunt. Ipse adeo Fi-
lius DEI, qui universum genus humanum apud
benignissimum Patrem suum ultrò in gratiam
reposuit, Discipulis utpote hæredibus suis solam
Pacem, veluti omnium preciosissimum *κειμήλιον*,
testamento legavit. Ejus vestigiis Apostolus
insistens, Spiritus VNITATEM tantá curá at-
que sollicitudine amplecti nos jubet, ut omnes a-
ctiones, omniaq; studia, omnes deniq; cogita-
tiones ad conglutinandas voluntates, ac foven-
dam

dam mutuam charitatem directas velit: hortatur præterea, ut non nisi ea dicamus faciamusve, quæ salvâ religionis auctoritate, atq; integro cuiusq; officio animos concilient, talemq; consensum perpetuò inviolatum tueantur. Silentio plura hîc prætereo, ex quibus optimi quiq; Magistratus suas de Pace leges hauserunt, tantoq; studio propagarunt, ut ad eam colendam cives iuramento adstrinxerint. Boni enim est Principis, custodire concordiam, quæ (ut Cassiodoro loqui visum est) ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus Pax ametur. nec est aliud, quod Principem magis commendet, quàm populus quietus, concors Senatus, totaq; Respub. morum venustate conformata. Est igitur Concordia tantò pulcrior, tantoq; honestior; quò grauius ab Authore suo maximo præcipitur, à Magistratu custoditur sanctiùs, à civibus religiosiùs conservatur. Verùm enim vero quò illa est hominum generi utilior, quò amabilior, quò pulcrior; eò pestilentior, eò formidabilior, eò sceleratior Discordia, Sathanæ Filia,

Monstrum, horrendum, informe, ingens.

Profectò qui dixit: Concordiâ res parvæ crescunt,

scunt, discordiá maximæ dilabuntur; is tot hujus incommoda, quot illius commoda notare voluit; teste etiam Iulio Celso; testibus omnibus historiarum scriptoribus.

parvis (canit Silius) dives concordia rebus.

Et Maro noster:

————— *en quò discordia cives.*

Perduxit miseros? en queis conserimus agros?

Inviãtam diximus Concordiam: at discordiã nihil infirmius, nihil fluxius. Id Tyresius confirmavit, Princeps Celticus, quum à Scipione Africano rogatus, quamobrem Numantia aut prius invicta, aut post eversa fuisset, graviter ac verè respondit: Concordia victoriam, discordia exitium peperit. Nec vulgare prudentiæ specimen Callicratidas edidit, teste Plutarcho, quum à Cyro Rege, ad quem missus, tertium autem propter commestationes illius non admissus fuerat, discedens apud comites sanctè juravit, se Spartam reversum, non conquieturum, donec Græcorum animos penitus composuisset; certò persuasum habens, illos non aliã ratione, quàm intestinis dissensionibus depositis, barbaris formidabiliores reddi posse. Alphonsum etiam sæpenu-
mero dicere solitum fuisse legimus: si romanis
tem-

temporibus ætatem egisset, se Iovi positorio tem-
plum constructurum fuisse, ut de rebus acturi, in
eo prius convenientes, omnibus dissensionibus
renunciarent. grave & suave consilium, quo Al-
phonfus aliud nihil innuere voluit, quàm Rei-
pub. nihil æquè esse perniciosum, ac si crebra in
senatu populoq; dissidia inflammentur. Sylvam
incendio ardentem contueamur: non unam aut
tantùm alteram arborem perire; sed tot, quot
tandem cunq; ignis attigerit, rapidè absumi vide-
bimus. Nec exortæ similtates in authores so-
lummodo redundant, ut, instar gallorum in pu-
gná occumbentium, mutuis sese vulneribus
conficiant: verùm etiam latius paullatim ser-
punt, atq; integras sæpenumero urbes, integras
nationes, quid? integra regna in fraudem atque
perniciem abducunt. nam ut non rarò, aëre et-
iam sereno, nubes, quamlibet parva, ventorum
turbines subitò conglomerat: sic rebus admo-
dum pacatis, sæpissimè ex minimá animorum
distractione, gravissimi motus, maximeq; fune-
sti hominum casus derepente oriuntur. Nimi-
ùm fortasse vobis, Auditores, in re manifestá, o-
mnibusq; notá declarandá probandaq; curio.

D

fus

sus esse videbor. Sed ne patientissimis auribus vestris abutar, exempla prætermittam omnia, si unicum saltem, idq; vetustissimum, adduxero. Vllumne gravius atq; horrendius supplicii genus illo Cataclysmo, qui Noaci ætate totum terrarum orbem foedè ac misere oppressit, unquam est auditum? nullum profectò. at quam potissimum causam illi imputabimus? nonne in Abelem Caini discordem furorem: & quod universa hujus in exilium pulsi pro sapia omni scelerum genere, omni flagitiorum contagio, justam Dei vindicis iram in se suosq; ultrò concitavit? Sic ne hodie quidem fieri potest, quin nefariæ disceptationes, ac Diabolica privatorum odia, in totius Reipub. fortunas & salutem prorumpant: quâ re quid potest cogitari atrocius? quid turpius? quid detestabilius? Quamobrem quantâ animi contentione Concordiæ incumbendum, tantâ fugienda est discordia. nam nec leges publicas, nec priuatos focos, nec libertatis jura cara habere potest, quem discordiæ, quem cædes civium, quem bellum civile delectat; eumque ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto,
ait

ait Oratorum Latinorum Princeps. SED
audire hinc quempiam mihi videor, qui de animo-
rum congruentiam multa commemorari, de ratione
verò constituendi eam nihil afferri dicat. Imò
verò tolle discordiam, & sartam tectamque ha-
bebis perfectam illam Amicitiam. nihil hinc du-
bii, nihil difficultatis. Etenim nullus discordiae
locus supererit, si locus quatuor consceleratis
Concordiae hostibus relinquatur nullus: Super-
biae (dico) Invidiae, Maledictiae, atque Irae. Ac
superbia quidem nihil est hominum consortiis
nocentius. haec radix malorum omnium: haec
Angelos degeneres caelo praecipitavit: haec de
perfectissimo Bono universum genus humanum
deturbavit: haec summa inis miscuit. Est igitur
hoc malum (ut Divus Gregorius monet) ab ipsa
radice avellendum, ut cum latenter oritur, vigi-
lanter abscindatur, ne profectu vigeat, neve usu
roboretur. Nec ullus fervens & sincerus amor
radices agit, nisi animus à pravis affectibus o-
mnibus. tum vel ab invidia in primis sit repurgatus.
Simulatio quanta sit pestis Amicitiae, quis ignorat?
& haec ipsa tamen non aliunde, quam ab Invi-
dia proficiscitur. Ex hac namque in animis homi-
num

num insidiosa occultatio procreatur, quum odium occultitur, amorque blando alloquio malitiosè simulatur: perinde ut latentes in profundo scopuli incautos navigantes uno in exitium momento abripiunt. De Maledicentiá quid dicam? hæc certè est acutissimum humanæ societatis venenum. Secat quidem gladius (dicebat Democritus) at Calumnia separat Amicos. nam hoc illa à natura habet, in crimen ac suspicionem vocare omnia, probare nihil. Ideo Thearidas gladium suum, quem cote acuerat, magis acutum clamabat, quàm calumniam, significans: hac nihil esse asperius, nihil crudelius. Et bono Aristoteli, quum Athenas Civitatem quidem dixit pulcerrimam, à qua tamen iniquissimorum Iudiciorum metu se subduxerat; sed in eá pyrum super pyrum, & ficum super ficum, confenescere addidit, aliud nihil obliquè indicare animus fuit, quàm obrectatores & sycophantas bonis viris vehementer esse fraudi & dedecori. Eam ob rem Socrates etiam illos ad Rempub. minime admittendos censebat, qui calumniando victum quærent, quòd ex benevolentia nihil, ex invidia proloquerentur omnia,

omnia, & quemadmodum uni alterius arcana de-
tegerent, similiter etiam alteri, quæ unus ille cre-
diderat, vafre, impudenterque effutirent. Qua-
propter facilis illi ad Concordiam aditus, qui hu-
jusmodi obtrectationibus, quæ authoribus ut-
plurimum per jugulum redeunt, nullum dat lo-
cum, nullam præbet aurem, nullum nutum ac-
commodat. At verò hanc pestem nemo evita-
rit, qui non item à præcipiti sibi iracundiá, len-
táque exacerbatione temperabit. talis enim im-
potentis animi motus gignit insaniam; & hinc,
sicuti canes, cæcas criminationes parit, quibus
admissis omnem amorem concidere necesse est.
His ergo quatuor nefariis hostibus profligatis,
imperium tandem obtinebit suavis concordia,
suosque cives summa in tranquillitate colloca-
bit, in honore reponet, in rerum omnium afflu-
entiá gloriosè conseruabit. SED dicat hic idem,
qui paullò antè ineundæ rationem concordiaë
requirebat, nullum quidem cum vitiis istis ha-
tenuis sibi fuisse commercium, ut ea in alios u-
surparet: veruntamen iisdem sese ab aliis conti-
nuè fuisse impetiturum, ac ne dum quidem sic esse
tutum, quò minùs à conjunctione æqualium ab-

strahatur. ita enim quiritari auditur: Næ ego infelix homo, cui impedimento est & terrori intolerabilis illorum ipsorum insolentia, quibus cum stabilem Amicitiam connectere jam pridem discupivi. est hîc aliquid fateor, quod metum incutiat; sed & aliquid, quod spem suscitet. nam hoc ut quibusdam infamiæ & calamitatis, sic aliis gloriæ & felicitatis materiam præbuit. Aemylio quidem Paulo temeraria Terentii Varronis insolentia necem attulit: at L. Furii & Minutii insolens atrocitas M. Furio Camillo, & Q. Fabio Maximo singularem gloriam peperit. Et quid reformides Amice? equidem nullâ melius ratione superciliosorum hominum fastum represseris, quàm prudentiâ & humanitate. Tu igitur illos potius tuopte gubernes exemplo, quam illi te dent præcipitem. Sic eveniet, ut illi aut sponte tibi cedant, honestiore videlicet suffragio, quàm si eos vis quædam cedere coëgisset, aut omnibus palàm fiat; tuum esse, quicquid præclare gesseris; quicquid secus, illorum. Tuum verò est, censoriam severitatem ponere: pudore gratiam, modestiâ quietem, patientiâ auctoritatem tibi comparare. nusquam scilicet virtus splendidior
emi-

eminet, quàm suo admota contrario. AT præ-
ter hos invidia æmulorum degravor? quid tum,
mi Vir? præstat Invidiam pati, quàm miseriam.
Et cui unquam bono viro hic virtutis stimulus
defuit? perlustrentur omnes regiones, omnia re-
cognoscantur secula, omnes historiae evol-
vantur: vix ullum insignem hominem ab hac li-
vidá beluá securum reperies. quosdam hostes
fugiendo latendoq; superari videmus: tu publi-
cis dignitatibus inhiare cave; in oculis, in voculis
hominum versari desine; digito te monstnan-
dum ne præbe: æmulatio in subselliis, invidia in
theatro habitat. Atqui & fugientem latentemq;
hæc insequitur? tolle mali fomentum, & malum
omne sustuleris. nimirum, quicquid eximia spe-
cie animos inflammare potest, id deprime, &
quantum potes, reconde. quanquam & invidiá
carere, miserum; & invidiæ causá, difficile. quid?
haud invidia, sed gloria putanda est, quam vir-
tus peperit. ut enim promicante Sole fieri non
potest, quin iter facientes umbra comitetur: sic
qui per honestam incedunt gloriam, perpetuò
comitem habent invidiam. itaq;

*Aude anime invidiam contemnere, non nocet illi,
Quem perit, Authori sed nocet illa suo.*

VERVM

VERVM hanc ferrem, (ait ille) nisi accederet
aliud. non solum enim mihi à plurimis inuide-
tur; sed ab iisdem etiam ignominiosè contem-
nor? si despiciatui te habent superiores; fer mo-
deratè; si æquales, patere lubens. illi fortè suo se
jure uti putant; quandoquidem parvi plerumq;
magnis sunt contemptui: hi suam operam ad
hanc rem obtrudunt, & maiores evadere, quan-
do alia non succedit, hac connituntur viá. Sine
sic sese decipiant (penè dixeram, sic insaniant)
nec magnifacias hunc contemptum, qui illis ad
extremum sit turpitudini; tibi honori. an non
Achillem Therfites sprexit? Zoilus Homerum?
alii alios? immò pessimus omnium Herodes lu-
dibrio habuit Christum. quid autem contemptis
hoc damni, quid contemptoribus attulit lucri?
Quin tute introspice in mentem tuam, eamq; o-
mni cogitatione pertractans recordare, nunquid
non etiam tu alios spreveris. hæc nempe est na-
tura, hæc conditio hominum, spernere & sper-
ni. mutuis certatur odiis, mutuo contemptu, &
in precio esse volumus omnes, neminem in pre-
cio habentes: dici omnes venerandi, neminem
venerantes. De aliis igitur honestè sentire
memi-

memineris, ut sic alii de te sentiant. quod si non
succedit; age & tu aliquid præclarum suscipe,
quò omnis contemptus in ventos abeat. Sic deni-
que persuasum habe: nihil huic seculo esse fami-
liarius, quàm Bonos Malorum contemptu labo-
rare: nihil frequentius, quàm contemptos emer-
gere, succumbere contemptores. ecquis primùm
Iosepho fuit neglectior? quis minùs postea?
QVID autem (queritur porrò Concordiæ no-
stræ sectator) quid remedii, vbi contemptum ex-
asperat calumniandi libido, velut ea in me furio-
sè debacchatur innocentissimum? vix alia justi-
or mihi querelæ causa. in triviis laceratur fama
atq; existimatio mea. Ne metue vir bone.
Illud quidem in ore est omnium: Calumniare
audacter, semper aliquid hæret. at (mihi crede)
tantum non hærebit, quantum causæ Bonitas
& hujus victoria tandem discutiet. nihil est vili-
ùs existimandum, quàm Maledicentia, quæ non
ab omni vitio, sed ab omni morbo proficiscitur.
Audi Epictetum: In lapidem confer maledicta,
quid quæso efficies? quòd si quis ista audiat, tan-
quam lapis, quid obsecro proficiet conviciator?
at si ejus imbecillitate, in quem convicia proje-
ctan-

E

ctan-

Etantur, tanquam suggestum quoddam nactus
sit is, qui maledicit; tum sanè multum proficit.
quin ergo obtrectatorum vociferationes gene-
roso animo obaudi, & in hoc Regi Alphonso
morem gere, qui iratis atq; oblatrantibus cani-
bus, ut à morfu abstineant, offam objiciendam
monuit: hoc est, lenitate, & benevolentia do-
mandos flectendosq; esse Adversarios: multa
prudenter dissimulanda, surdisq; auribus præter-
eunda; ac tum demum attritum conviciis no-
men splendescere. Sic Salustius nominis cele-
britatem Ciceroni peperit, Aeschines Demo-
stheni, Catoni Galba. cæteroquin inglorium
belli genus eligunt, qui in absentem linguæ mu-
cronem stringunt: & in hoc certamine ut pluri-
mum Victore victus evadit superior. nescit hîc
verò vincere, qui nescit dissimulare. id quan-
quam difficile, & perquam molestum; silentium
tamen tempestivum honestumq; iustæ est que-
rimonia anteferendum. quid multa? unum au-
di: non est vir bonus, quem non petit calumnia.
A T hoc omnium deterrimum (objicit porrò
querulus) quòd hi omnes, quorum insolentiam,
livorem, ac convicia perpeti necesse habeo, in
me

me insuper bilem suam eructant, protervè sto-
machantur, planeq; irá æstuant, quasi ego illos
perditum ire cupiam; illi contra jus in me habe-
ant omnis exercendæ libidinis? quid hîc respon-
dendum? an ignoras Ennianum illud: Iram
insaniæ initium esse, propterea, quòd frementi-
bus & insaniæ sit finis, & vitæ. itaq; non est, quòd
istorum nequitiam & furorem diuturnum cre-
das. nullum enim violentum durabile: ira cum-
primis etsi sæpe alios, semper tamen ante alios
Possessorem suum misere torquet, eumq; ad in-
famiam & interitum adigit. INTERIM ta-
men summa mihi infertur injuria: neminem ego
vel re vel verbo offendi: ex adverso autem dolo
etiam & fraude variè nefariè circumventus sum,
neq; dum ullus finis tot malorum apparet. tacen-
dumne igitur? ferenda omnia? nec quidquam ul-
tione persequendum? audi obsecro, audi præ-
cepta vitæ, mi Frater, & jam denique viam disce
tutissimam, quâ declinatis omniû periculorum
anfractibus ad munitissimam concordiaë arcem
pervenias: hoc est: eos tibi reddas amicissimos,
quos inimicissimos aut esse putas, aut tales re-
apse cognovisti. Injuriis te infinitis adfectum

clamitas: tantò plus est, quòd gaudeas. pejus enim esse injuriam facere, quàm accipere, sapientissimus adfirmat Socrates. Offensum te à compluribus, neminem abs te, juras. equidem adducerer, ut hoc crederem, si Deus esses, non homo. Omnes, Amice, ad peccandum proni sumus: omnes in pejorem partem naturá inclinamus, ac sæpe, quum minimè opinamur, maximè delinquimus: quæ in alios committimus, non perspicimus, quæ alii in nos perpetrant, perpeti haudquaquam possumus, aut volumus, iniquissimi rerum judices. Deus quidem ipse cottidie verbis ac rebus multifariam offenditur, nec semper ad iram commovetur; (ò mite caput!) at nos omne verbulum vel casu elapsum ad injuriam capitalem trahimus, impatiens genus hominum. Haud difficulter tamen fidem tibi habeo, in neminem quidquam te insidiosè molitum, tibi verò insidias clam structas esse innumerabiles. verùm an id miraris, aut propterea indignaris? imò verò mirarer ego, si in medio hominum cœtu illæsus evaderes. quis enim homo hominem non circumscribit? ludificat? in transennam ducit? fides jam pridem in exilio est: fraus primas imperii tenet;

tenet; & tunc hoc noviter nunc demum animadvertis? non tantá alacritate, tantaq; celeritate Venatores feras, non aucupes tot laqueis volucres captant, quot modis versutissimi quique simplicioribus imponunt. Fraudum artifices hoc seculo ubiq; gentium digito monstrantur, & qui peritior est clandestinarum molitionum, hic judicatur circumspectior. visne igitur dolis non deludi? aut mortem sequere, aut fuge hominum consortia. Innocentiam prædicas, ob eamq; fortunam tuam acerbius deploras. atqui, quò major est innocentia, eo animo magis virili obfirmatoq; ferre debes, quicquid adversi accidit. huic enim plus periculi esse non debet, quàm honoris. nescit succumbere virtus: premi potest Iusticia; opprimi non potest. sed ut ignis in aquam coniectus continuò extinguitur: sic falsa criminatio in casti & innocentis vitam famamq; coniecta statim corrui, atq; evanescit. Gravissimè dictum à Tertuliano: quoties injustè ab hominibus damnamur, toties à D E O absolvi-mur. vsq; adeo verum est, quod poëta cecinit:

Tandem, tandem bona caussa triumphat.

A T vindictam tamen in hac innocentia tuá

E 3

qua-

quæris, ad eamq; toto pectore anhelas? parcè, mi
vir, parcè: in quorum numero sis, recordare: à
quo nomen tibi sit inditum, perpende: cuius di-
sciplinam atq; instituta sequaris, vide. Et jam
quidem non procul à viâ abes, quâ ad Regiam
DEAE nostræ rectâ ascenditur. Facultatem
quidem ultionis tibi eripi doles: at cui peccandi
ocasio eripitur; non tantum nihil adimitur; sed
multum etiam tribuitur. quid si tempus veniat
(ut veniet) quo de ereptâ hac facultate gaudeas,
neq; ullo modo velis, aliter accidisse? fortè enim
quidam præter voluntatem suam ad te accur-
rent, & velle amare incipient, & sic de necessita-
te consensus orietur, dumq; voluntas fieri incipi-
et, desinet esse necessitas. nihil tam est alienum
à natura hominis, quàm inhumanitas, per
quam homo desinit esse homo, & nomen cum
re perdit. idcirco in hominem, quamvis me-
ritum, vindicibus armis, aut quocunq; modo sæ-
vire, nihil minùs est, quàm humanum: & mo-
tum exacerbatae mentis sequi, atque ita privatae
memoriâ ultionis, naturæ communis oblivisci,
nefas est vel morte piandum. quòd si omnino
vindiçtam arripere juvat; pulcerrimum illius est
genus,

genus, ulcisci non posse, etiamsi velis; pulcrius,
ulcisci nolle, etiamsi possis. Quid ergo o-
mni deposito desperatoque ultionis genere faci-
undum, ut ad concordiam nihilofecius perve-
niamus? Principio altercationibus omnibus
remittendus nuncius: *ἔρις δ' ἔρι' ἀντιφύτει*, inquit
Phocylides: cui hoc affine: *δίκη δικῶ ἐπιτε, ἢ βλάβῃ
βλάβῃ.* refecanda igitur injuria est, non retalian-
da. neq; enim in tantá humanæ naturæ imbe-
cillitate fieri potest, quin ex leviculá re aliquá er-
ror incidat, ex errore suspicio surrepat, è suspicio-
ne offensio nascatur. Sauciat nequam ille di-
scordiarum Parens, dux, fax, & tuba bellorum,
feditionum, ac tumultuum, sauciat inquam telis
igneis miserandum in modum animos Mortali-
um, odiis pectora inflammat, atq; in hoc unum
elaborat, ut omnem Christi Rempub. dissipet.
Hæc adversus tela muniendi sunt animi, & affe-
ctibus frenum injiciendum. Deinde cum o-
mnium seculorum plenæ sint exemplis historiæ:
diffidia sive quadam ingeniorum pertinaciá, si-
ve odiis accensa, vel invidiá, magnis sæpè impe-
riis, ac potentibus provinciis calamitatem attra-
xisse, rursus moderatorum hominum pruden-
tiam,

tiam, qui aliorum morositatem, vehementiam,
& importunitatem ratione lenierunt, florentissi-
mas servatas esse urbes, servata ingentia regna;
idcirco moderationi quammaximè studendum
est, coercendi animorum impetus, omnesque
modi in dictis & factis aurigandi. quòd si virtu-
tum doctrinam ad mores atq; usum transferre
par est, eos cum primis, qui in literis vivunt, ne-
quaquam committere decet, ut extincta ratio-
ne, ac posthabita omni consideratione, quid
Reipub. expediat, quæ exempla profint; quæ ob-
sint, affectibus rapiantur, & quocunq; illi impel-
lunt, ceu quodam turbine proruant, non aliter, at-
que navis, excusso gubernatore, sine velo, ventis
sursum deorsum, non absq; presentissimo vitæ
facultatumq; discrimine jactatur. Notum est
illud Euripidæum:

*Μιῶν γὰρ ὁ θεὸς τὰς ἀγὰν περὶ θυμίας,
μισῶσι δ' ἀγαί, δῆ δ' ἔμ, ἐκ ἄλλως λέγω.*

Si quid in alio desiderari videtur; providendum
est sedulo, quâ ratione remedium, non contem-
tus, non contumelia, non acerbitas ulla asperga-
tur. neq; verò jus, quod quis habere se autumat,
mordicus usurpare, sed de eo aliquid nunquam
non

non remittere suadet Charitas: quemadmodum hoc facere Deum ipsum videmus. idque rogare nos, nisi culpæ succumbere velimus, æquissimum est, summeq; necessarium. Cæterum hîc quoq; cautione opus est, ne stulta ambitio, & effœminata illa *φιλαυτία*, aditum ad mutuam benevolentiam præcludat: sed modestia ex omni sermone, omni consuetudine, omni gestu atq; nutu suaviter eluceat. hac enim cùm in vindicandis hostibus, tum parandis retinendisq; Amicis nihil est præstabilius. hæc individua est humanitatis comes: hæc scientia (ut Oratoris verbis utar) opportunitatis idoneorum ad aliquid agendum temporum: hæc claram & stabilem parit auctoritatem. Ideoq; omnibus seculis quò magis quisq; sapientiâ & authoritate alios antecelluit, eò studiosius modestiæ & comitati operam dedit. Atq; hac olim mirificè inter se certarunt septem illi Sapientes, qui uno eodemq; tempore in diversis Græciæ civitatibus floruerunt. Nam quùm auream mensam Myleti repertam sapientissimo omnium Apollinis Oraculum reddi iussisset; civitas Thaleti offerendam esse iudicavit. istantâ laude in ruborem datus, alteri ce-

F dere

dere maluit, quàm munus accipere. Soloni igitur transmisit: Solon Bianti. idem factum à reliquis, donec mensa ad Thaletem relata fuit. qui quum demum Oraculi sententiam divinando se assequi existimaret, ipsum Apollinem dono tam excellenti ornari iussit, firmiter asseverans: unum hoc divinitus significari: neminem mortalium, solum immortalem Deum esse sapientem. quid quaeso est, modeste de se sentire ac loqui, nisi hoc est? quid aliud viri illi verè sapientes, verè Aristocratici, posteritati cognoscendum relinquere voverunt, quando nullus quicquam de alterius laude decerpfit, quàm propriae sapientiae opinione nihil esse magis stultum, vanum, perditum? itaq; illi suavissimè conjunctissimeq; inter se vixerunt. Vult Plutarchus in commentario *περὶ φιλαδελφίας*, fraterni amoris fovendi gratiá **MEVM & TVVM** è commerciis hominum esse exterminandum: aut si id fieri nequeat, saltem æqualitatem servari monet. Et nos hoc tantum posterius seriò cordateq; præstemus. nam si obviam eundum est invidiæ, si obtrectationi, turpissimis morbis; illis profectò, qui Pacis Amatores perhiberi volunt, quam optimè consulatur,
pri-

primùm ut quibus rebus excellere videntur, eas
communicent cum Sociis, amiceq; illos in suæ
gloriæ partem adoptent. deinde non fastum u-
surpando, sed demittendo se placidè, præstanti-
am suam Invidiæ securam reddant: tum fortu-
næ inæqualitatem, quantum ejus fieri potest, a-
nimi moderatione compensent. Sic invidia, sic
simultas, sic illiberalis æmulatio, sic omnis suspi-
cio occasione, velut materiá igni, subtractà ul-
trò extinguentur. adeo est egregium concordiæ
pacisq; fulcrum, & ornamentum Modestia. Quá
duce proxima ad gratiæ reconciliationem super-
est ἀμνηστικία. pulcrum aliquid vindicta videtur:
sed pulcrius venia: pulcerrimum offensarum ἀμνη-
σία. quid Iulio Cæsari ad perfectissimam laudem
defuit? hæc tamen illum inter omnes Principes
viros principem fecit. Incredibilis fuit in hoc vi-
ro rei militaris cognitio: ingenium sublime; ad-
mirabilis eloquentia: summa generis dignitas,
atq; amplitudo: eximia corporis forma; invicti
animi magnitudo: innumerabiles penè & im-
mensæ victoriæ: triumpho splendidissimi. verùm
cuncta hæc quùm vnum in laudum cumulum
comportantur; nihil in eo clarius æquanimitate,

& illá injuriarum oblivione reperitur. Morem
græcis fuisse, idem Plutarchus refert: sicubi duo
fratres in viá ad lapidem fortè devenissent, ne illi
medium lapidi locum se juncti relinquerent; sed
ut ambo simul eodem gradu, eádem semitá cir-
cuirent. Hunc morem philosophus ad Fratrum
concordiam accommodat, eosq; monet, ut ac-
curatè caveant; ne quis lapis, hoc est, ne qua of-
fensio animos ipsorum distrahat: vel si qua inci-
derit, ut eam conjuncti circumeant, hoc est, dif-
simulent, ex animo removeant, averruncent. Et
hac virtute nulla familia, ne dum ulla Respub.
carere potest. hinc tot gravissimæ sunt sapien-
tum conciones in medio, quæ animos ad pacis
studium sic applicare docent, ut qui antehac di-
vulsi fuerant, sanationem tamen admittunt,
quamprimum in gratiam redeant: quo sanè re-
medio nullum est efficacius, nihil amicitia salu-
brius, nihil ad amplificandam privatam fortu-
nam compendiosius, ad publicam conducibili-
us. Fingit Poëtarum græcorum Princeps; At en-
vasto ac valido corpore in Orbe terrarum discur-
santem omne diffidiorum genus ferere: Litas ve-
rò divinitus missas sequi, & homines ad pacem
tuen-

tuendam, ejusq; qualescunq; conditiones acceptandas graviter cohortari. Et addit Homerus: illas obsequentibus multa magnaq; Beneficia enlargiri, ac vicissim obsequentium vota à DEO exaudiri: cæteros verò, qui parère obstinatè recusent, diris omnibus, per Aten infligendis, devovere. Quod quidem tantum Poëtam non ita fabulosè, sive abs re, confinxisse putemus: sed sine dubio sententiam à Majoribus, qui divinorum testimoniorum antiquissimam religionem, ac fidem veram coluerunt, mutuatum fuisse, solumque colorem poëticum allivisse, statuamus. Nam quorsum aliò digitum voluisse illum intendere dicemus, quàm ad hanc, quam toties sacræ literæ præcipiunt, Concordiæ disciplinam, in quâ insignia atq; ampla in hac vitâ præmia illis sint proposita, qui ad eam studiosè ardentèque amplectendam curas atq; cogitationes suas cunctas conferant: ac rursus illis, qui secus faciant, poenæ sint constitutæ gravissimæ? ideoq; exuendas inimicitias omnes, citraq; moram in mutuum consensum redeundum, & firmam sine fūco, sine fraude, sine fine necessitudinem colendam, atq; propagandam? Ac tum demum fu-

turum esse, ut omnes rixas, omnia odia, omnes
cuniculos, & clandestina consilia, omnes suspi-
ciones, & susurros vehementer atq; ultro excre-
mur, tandemq; in ipso amicorum complexu tri-
pudiantes exclamemus: hos perditos voluimus.
sed ò divina, ò optima providentia, in quem mi-
tem eventum crudele consilium convertisti!
Atq; hæc est ratio, hæc via, quã ad nobilissimam
concordiam, cujus nomen dulce, & res ipsa sa-
lutaris, illis pervenire licet, qui ad cœlestis &
sempiternæ consuetudinis, & perfectissimæ
illius Concordiæ thronum viam adfectant.
QVAE cum ita se habeant, Auditores; quis no-
strum tam efferato sit animo, ut capitalibus odi-
is, apertis periculis, occultis insidiis, turbulentis
motibus, & dissidiis plusquam beluinis vitam
traducere, iisque immori malit, quàm in dulcissi-
mâ pace, honestissimo otio, & pulcerrimâ tran-
quillitate consenescere? Quòd si pax & Con-
cordia civium unquam aliàs; hoc hoc revera tē-
pore extremè est necessariam, atque utilis.
nam quis ita sit mente oculisque captus, qui non u-
niversa atq; omnia, quocunq; se convertat, peri-
culorum plena, vereq; misera, & miseranda de-
præ-

præhendat? Quot quantosq; clades immanissimus Christiani sanguinis Heluo, crudelissimus ille latro, Deorum ac hominum contemtor atrocissimus, ad cuius nomen exhorresco, & indignum, quod exprimam, judico, Pannoniæ admodum nuper (ut superiora taceam, & de bellis aliis, quibus totus penè terrarum Orbis ardet, nihil dicam) furiosè intulerit? quid etiamnum molitur? quæ non modò in regni illius miserrimè direpti, verùm etiam totius Germaniæ perniciem consilia agitet, & coquat? neminem sanè clam esse potest. Quamobrem quò belli huius publici procellis carissima Patria magis concutitur, eò est ardentius in hoc unum invigilandum, ut privatis dissidiis compressis, frenatâ irâ, omnibusq; injuriis æternâ oblivione deletis, firma & diuturna concordia ubiq; Christianorum exerceatur. nimis enim verùm (quod toties dictum) usus comprobavit: intestinos motus persæpe concitasse publicos, & minutas quasq;, etiam hac nostrâ ætate, dissensuunculas, vel ex levissimis initiis ortas, tantis calamitatibus fenestram aperuisse, ut eorum exitus ne dum quidem prospiciantur. Quemadmodum igitur ad
restin-

restinguendum subito in urbe aliquá incendi-
um exortum, omnis civium multitudo certatim
accurrit: sic in id omnibus viribus enitendum
est, ut privatá animorum conjunctione tumul-
tus publicos sedemus, & hoc in primis fatale bel-
lum comprimamus. CONSIDERATE, quæso,
viri Christiani, ante omnia salutem Patriæ, hu-
jusq; charitas ad mutuam charitatem vos impel-
lat. expendite porrò apud animum, quàm neces-
sarium sit cuiq;, quàm utile, quàm jucundum,
quàm honestum, **VNUM VELLE, VNUM**
NOLLE: & hac vivendi ratione omnes cona-
tus inimicorum impedire, adeoque infringere,
cunctis fraudibus, & insidiis resistere, omnia for-
tunæ ludibria convellere! contra, quàm exitio-
sum toti sit Reipub. cogitate, quàm acerbum,
quàm turpe, inter se tam adfectibus quàm ver-
bis, more Anicularium triobolarium digladiari,
odiis novercalibus certare, & perpetuis litibus
ad enormes contumelias, & similtates barbaras
descendere! quàm sit facile, quàm gloriosum, o-
mnem hujuscemodi rabiem atq; pestem, profligatis
quatuor illis Concordiæ pestibus, avertere
atq; propulsare, & sic demùm accisam sanare
Con-

Concordiam, mentem in ea intendite, quæ paul-
lò antè ob oculos posita habuimus. Decet hoc
in primis Adolefcentes summá animi contentio-
ne ab ineunte ætate facere, ut quùm olim ad gu-
bernacula rerum, aut quodcunq; vitæ genus ac-
cesserint, nihil pestiferi seminis in Rempub. im-
portent. Turpe, dissidere homines: turpius Chri-
stianos: turpissimè eos, qui virtutem in literis di-
scunt; illos præcipuè, qui bonas literas & virtu-
tem profitentur, & hoc ipso, ut bono aliis exem-
plo præeant, obstrictos sese esse fatentur. Quæ
præterea huc nos impellant, quis non videt? ni-
hil hic commemorabo de exactá DEI volunta-
te, nihil de severissimis præceptis, quibus nobis
nihil magis, quàm Charitas, Fides, Pax commē-
dantur: nihil de eo dicam; quòd in magno illo
& pacato Superiorum Domicilio cohabitare
nunquam poterint, quos in hoc mundi ergastu-
lo communi mortis conditione æquales nulla a-
nimorum societas conjugavit. Sunt præter hæc,
Fratres, quæ nos exstimulent, alia: Numen Prin-
cipis, Loci genius, tum nostræ etiam dignitatis
ratio. Etenim, quòd bono Principi nihil sit ju-
cundius, nihil optabilius, quàm suorum civium

G

con-

concors vita, penitissimè intelligere τὸν Ευεργέτην ἡμῶν,
Patrem nostrum, nostrum totiusq; castissimæ Re-
ligionis Asylum, Columen, & splendidissimum
fidus, quem? quem obsecro? HENRICVM
IVLIVM, vigilantissimi Patris sapientissimum
Filiū, verè Principem, & jam pridem longo u-
su compertum habemus, & hoc ipso tempore,
hoc loco, abundè experimur. Vult honoratissi-
mum caput, ut membra sint integra, sint solida,
sint maximè conformia. Vult procul nostris à
complexibus abesse εἶναι, ac solam regnare εἰρήνην.
clamat ipse cum græco Poëta:

O cætu ex hominum. Et Divūm lis tetra faceffat!
Iubet, imperat generosissimus heros, rogat mitif-
simus Pater: præmia singularia pollicetur, pœnas
minatur justissimas. Pro quâ divinissimâ vo-
luntate, quando dignas satis gratias ne quidem
animo unquam concipere possumus; nihil sanè
preciosius, atq; carius illi rependemus, quàm si
imperanti rogantiq; nostrapte sponte obtempe-
raverimus. Placeat tamen tibi interim etiam,
incomparabilis Dux, grata animorum nostro-
rum significatiuncula, quam non commemo-
rando, sed vix balbutiendo hìc contestamur.
Veni-

Venisti bonis omnibus desiderabilis! hoc institutum tuum immortale, hoc divinum! cætera verò merita tua æternis literarum monumentis transcribentur, & ad posteritatem propagabuntur. Iam pridem I V L I A E tuæ celebritas in ore, amor in corde bonorum omnium, sancti Parentis tui auspiciis, tuisq; beneficiis, longè latequè versatur. Sit igitur ea tibi porrò in deliciis, qui aliàs, omnem voluptatem in Reipub. salute, & commodis collocare, regium putas. Maeste ò HENRICE IVLI, & te ipso in ornandâ tum omni virtute, tum hac scholâ major evade, dum politiores literæ florent, dum animi Iuvenum fervent, dum per auream pacem licet. Sic te benigno vultu aspicere pergat magnus ille mundi Oculus: sic quamdiutissimè Te nobis servet Idem, in cujus manibus cor est, & universa vita Regum. O nos felices tali Principe, Auditores, (dicam, ita me Christus amet, citra assentionem, quod res est) qui non tantùm literas eximè amat; verùm etiam supra conditionē Principis, acerrimus literatorum hominū in quâcunq; disciplinâ censor, rectè intelligit: quod quidem DEI Donum hujus ordinis paucissimis (penè dixissem

xissem nullis) hoc ebrioso & degeneri seculo cō-
tingere, experientia loquitur. Iam quem non tā-
ti Ducis tam præclara voluntas ad omnem virtu-
tem excitaret? quī non in primis nos tam discen-
tes, quàm docentes, ad conjunctissimā animorū
voluntatūq; societatem invitaret? Sed & loci ge-
nius, civitatisq; hujus nomen bonis omnib; qui-
bus hīc vivendi potestatem divina providentia
fecit, sit incitamento. Etenim paullo antè, quàm
fundamenta domicilii sui IVLIA hīc posuisset,
Præses illa bonarum artiū Minerva (liceat nobis,
Auditores, veterū non tam Poetarū, quàm Ora-
torū exemplo, rem tam jucundā per festivum in-
volucrū paullò liberius explanare) Minerva in-
quam, nescio quam ex quarundam scholarum si-
ve fatalibus, sive lunaribus mutationibus barba-
riem extimescens, & quasi prospiciens, ubi diu
multumq; peregrinando frustra sibi suisq; stabile
& fixam sedem passim gentium quævisset, tan-
demq; in hunc agrum deveniens, diuturno itine-
re fracta, progredi ulterius non valeret, GALE-
AM suam auro argentoq; gravem, ex eoq; capi-
ti molestiorem, HAEC INTRA MOENIA,
seu nominis quodam omine, quod vicinæ sylvæ
per-

pervetustum inest, seu divino mota instinctu de-
posuit; ex quo etiam sedem omnium artium for-
tunarumq; suarum H I C defixit, atq; ita bellum
loci nomen, quasi à GALEA transumptū suo ho-
spitio auspiciatissimè illustravit, & fortunatum vi-
vacemq; geniū cōciliavit. Hanc igitur Palladem
cum ex vetustissimorum sapientissimorumque
hominum Scitis DEAM PACIS dicamus i-
psi, & agnoscamus, ejusq; auspicijs hoc ipso in lo-
co, non sine honore vitam degamus; cur non et-
iam sub ejus præsidio pacem sacrosanctā habere-
mus? cur non eam tam dulcis loci Genius multò
nobis cariorem redderet? cur præterea ad eā non
omni studio ferremur, cum nullus in numero
nostro reperiat, qui, boni viri nomen sustinere,
non pro summā dignitate habeat; soli autem im-
probi concordiam alere, ut maximè velint, non
possint? perinde ac lignum rectum cum curvo,
aut duo ligna curva inter se convenire nequeunt.
In eam verò curam animi naviter sunt intenden-
di, vt ad conjunctionem seriò applicentur, ne,
quemadmodum nūquam absq; detrimento pax
in bello quæritur; sic adeo frigidè, aut lentè, aut
dolosè illa tractetur, ut in eā bellum potiùs nouū

quærat, aut ejusmodi concordia tacitæ libidini
prætexitur, qualis est in his Lucani versibus:

*Temporis exigui mansit concordia discors,
Paxq; fuit non sponte Ducum: nam sola futuri
CRASSVS erat belli medius mora*

Quin omnes offensæ radicibus evellendæ, inju-
riæ sepeliendæ, usurpanda ea omnia, quæ non ad
exulcerandos inflammandosue animos, sed ad
sedandos jam exulceratos quam aptissima viden-
tur. Quod ubicunq; non fit, ibi periclitatur in-
nocentia, fluctuat libertas, pudor titubat, existi-
matio labascit; ibi barbariem atq; adeo omnium
virtutum ruinam ipsa necessitas flagitat, & con-
sequitur. Sed cur non in gratiam redirent illi, qui
ex eâ leui de causâ lapsi fuerant, quos aliàs natu-
ra conglutinavit, sanguinis conjunxit commu-
nio, alia atq; alia confociarunt? Cur non placen-
rentur ii, qui animis disjuncti socias operas nullo
emolumento, imò non nisi insigni cum Reipub.
tum facultatum damno, obire queunt? Cur non
iisdem essent animis, qui in eadem sunt naui, ad
eundemq; portum contendunt? cur non eadem
esset illorum voluntas, qui iisdem legibus, pactis,
foederibus devincti inter se tenentur? Cur non
injuriarum omnium obliuiscerentur, qui ex alio-
rum

rum exemplis discunt, quantum sibi periculi attraxerint, qui jus suum nimium persequuti fuerunt? cur non communi benevolentia coagmentarentur, qui communem habent patriam, commune nomen gerunt, ac propter veterem & vere germanam fidem, & constantiam Germani, quasi fratres germani, nuncupantur? cur non (quod caput rei est) concorditer inter se congruerent, qui eundem totius rerum Universitatis Conditorem atque Governatorem agnoscunt, eundem Dominum & Patrem invocant, qui omnibus promiscue pacem imperat, qui delinquentibus ignoscere, lapsis veniam dare, & concordissime vivere, tam saepe, tam amice, tam paternè jubet? cur denique non omnem rem ad concordiam adducerent illi, qui ad unam illam coelestem aeternamq; patriam plenis (quod dicitur) remis velisq; contendunt? Quocirca, Auditores, cum in nobis haec insint omnia; si DEVM, si Magistratum, si naturam nostram audimus, in hoc unice omnem operam atq; studium conferamus, ut paci, otio, tranquillitati, quae preclitantur, nutant, aestuant, quam vigilantissime consulatur. Consuletur autem, si, dum inter

ter homines sumus (ut Senecæ verbis orationem
finiam) colemus humanitatem; non timori cui-
quam, non periculo erimus, detrimenta, injurias,
vellicationes defugiemus, & magno animo bre-
via feremus incommoda. Quod quidem eò fa-
ciemus alacrius, atq; religiosius, quò minùs est
diuturna, minuscq; certa vita nostra, & quò pro-
pior est immortalitas, quæ dum respicimus,
quod ajunt, versamusque nos, subitò aderit.
O veni DOMINE IESU veni.

F I N I S.

Sphalmata sic corrigantur.

*B. 1. fac. 2. versu 18. pro civitas, lege domus. C. 1. f. 2. v. 3. quod:
lege, quot. Ib. 4. v. 16. lege Callicratides. D. 1. f. 1. v. 12. solummodo:
l. solum. F. 2. f. 2. v. 6. lege, circumirent. Ib. 2. f. 2. v. 15. ante hac:
l. antehac. Ib. 3. f. 2. v. 21. lege, necessaria. Ib. 4. f. 1. v. 1. lege, quan-
tasq;. Ib. v. 2. lege, helluo. Ib. v. 19. es: lege, est. Ib. v. penul. l. earum.
Ib. f. 2. v. 18. lege, Anicularum.*

AB 113 723

ULB Halle

3

002 387 581



TA → a



SALOMONIS FRENCELII
DE CONCORDIA

Oratio,

In inclutá IVLIA,

Præsente R.^{mo} potent.^{moq;} Principe,

HENRICO IVLIO,

postulato Episcopo Halbersta-
diensi, Duce Brunsvic. & Lunæb. &c.

*præsente item Procerum & Legatorum
Ducatus Brunsv: Senatu,*

paulò antè diem Concordiæ,

Anno inita sempiternæ inter Deum & homines Concordiæ,
M. D. XCVII.

habita.

HELMÆSTADII
Typis Iacobi Lucij.

